



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 15. Unio Bohemorum ab Imperatore confirmata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.  
A. C. 1436.

*communicandi sub utraque specie personas* *sub*  
*subjectas & in annis discretionis constitutas*  
*Et quæ id reverenter postulaverint, libertatem*  
*impartietur: ea conditione adjecta, ut*  
*inter communicandum plebem publice in-*  
*struant, non sub specie panis carnem Christi*  
*tantum, nec sub specie vini solum sanguinem,*  
*sed sub qualibet specie totum & integrum con-*  
*tineri Christum, id est, ejus animam, di-*  
*vinitatem, humanitatem, carnem & san-*  
*guinem æque sub una, ac sub altera spe-*  
*cie contineri. Porro hanc Bohemorum*  
*concordiam Ecclesia potissimum Philibe-*  
*to de Moniay Episcopo Constantiensi, &*  
*Joanni Polemaro Protonotario in acceptis*  
*referre debet. Nec Rochisana toto suo*  
*fraudum nexu ac cavillationum apparatu*  
*hanc pacem quoquo modo labefactare*  
*poterat, licet nodum in scirpo querere*  
*conatus fuerit, eo duntaxat fine, ut tam*  
*apud orthodoxos, quam vel maxime apud*  
*suos magnum sibi nomen pareret.*

§. XV.

*Unio Bohemorum ab Imperatore con-*  
*firmata.*

**C**um Imperator & Albertus Austriae  
Dux ejus Gener in Bohemiam redi-  
rent, plurimam juxta ac clarissimam Bo-  
hemorum Nobilium copiam Ratisbonæ si-  
bi obviam habuere, quos Imperator libe-  
raliter

raliter suscepit, & quæ de Religione nu-  
 per conventa fuerant, rata habuit, post-  
 quam ipsi fidem suam novo sacramento  
 Cæsari obstrinxissent. Coapcho, & Joannes  
 Rochisana Bohemarum turbarum incen-  
 tores sibi timentes, eoquod sua nomina  
 pactorum articulis haud inserta novissent,  
 & ipsi Ratisbonam veniunt, Cæsaris pe-  
 dibus advolvendi. Sigismundus, cui uni-  
 ce pax cordi erat, non vulgaribus clemen-  
 tiæ signis utrumque affecit: Nam Coap-  
 cho tam pro se, quam pro Equitibus sibi  
 adhærentibus præter illorum, quæ gesta  
 erant, perpetuam oblivionem, obtinuit,  
 ut quilibet eorum tuto suos lares, & bona  
 repetere possit. Rochisanæ vero Pragen-  
 sis Ecclesiæ Archiepiscopatus promitte-  
 batur, & Sigismundus literis propria ma-  
 nu exaratis eundem Eugenio commenda-  
 vit, ac illius nominationem Apostolica au-  
 thoritate confirmari petiit. Ceterum Bo-  
 hemos inter & Imperatorem aliæ adhuc  
 pactiones initæ, quibus Ecclesiarum præ-  
 dia possessoribus jure pignoris relicta sunt,  
 donec pacta pecunia redimerentur; Bo-  
 hemi vicissim Religiosis, quibus adempta  
 fuerunt monasteria, & exulibus, quibus  
 spes reditus interdicta, ut ad sua integre  
 redire possent, stipulati fuere, ea tamen le-  
 ge, ut monasteria iniquissimo illo tempo-  
 re eversa haud amplius reædificari debe-  
 rent; demum Ecclesiarum Bohemicarum  
*Hist. Eccles. Tom. XXVII.* Q dispo-

Sæcul. XV.  
 A. C. 1436

*Bonfin. 3.  
 dec. 3.*

Sæcul. XV.

A. C. 1436.

*Æn. Sylv.  
hist. Boh.*

c. 51.

*Cochl. hist.  
Hussit. l. 8.*

dispositio summi Pontificis arbitrio relicta est: Orphanis quoque ac Thaboritis quo huic conventioni accedere possent sexennii tempus præfigebatur.

Die duodecima Julii Rochisana cum aliis quatuor Presbyteris nomine totius cleri sibi adhærentis, coram Imperatore in solio suo sedente, obedientiam Romanæ Ecclesiæ spondit. Postera die Bohemi, Moravique haud absimili solemnitate ab anathemate, ceterisque censuris absoluti, atque in Ecclesiam per Concilii Legatos introducti fuere. Attamen parum abfuit, quin eadem adhuc die pene in irritum conventa cecidissent; nam Rochisana, cum divina celebrarentur altare accedens, uni, quem iusserat ex laicis adesse, Christi sanguinem ex calice ministrabat, quo facto conventorum fides violata credebatur, adeo, ut quidam ex Synodi Legatis assererent, in aliena Diocesi id non esse licitum, necnon a Rochisana in eo, quod Sacrum in Ecclesia non sua celebrasset, crimen fuisse commissum. Composita tamen lis est eo ex capite, quo conventum fuerat, *ne paucis pacta violantibus, communis concordia rumperetur.*

## §. XVI.

*Hæc pacta a Cæsare firmata.*

Imperator, qui hæc concordata primum quin-